

PRAXIS
CAVSARVM CIVILIVM,
IVRISCONSULTI CLARISSIMI
PETRI RACHAE.

*Opus elegans, & Pratoribus, Propratoribus, Consulibus, Proconsulibus, Magistratibus,
reliquisque Iustitiarijs, ac officarijs, & ceteris omnibus in foro versan-
tibus non modo utile, sed & necessarium.*

Nunc primum in lucem editum.

Cui accesserunt rerum, & verborum singularium summae, & INDEX copiosissimus.



*Rache praxi
Civilis*



AVGVSTAE TAVRINORVM.

Ex Typographia haeredum Nicolai Bevilacqua. M D LXXXI.

SERENISS. DO. CAROLO EMANVELI
Biturigum Duci, Pedemontij Principi, filio Em. Philib.
Ducis inuitissimi Sabaudia, Marchionis in Italia, Vi-
carij perpetui Romani Imperij, Principis Augusta, Du-
cis etiam Chablaisij, Comitum Geneue, Beaugis, Romon-
tis, Niciae, & Astensis Prouincia Baronis Vuaudi,
Faucigniti, & Geyti, Domini Brixie, & Mar-
chionatus Ceuae. Petrus Racha Iurisc.
Caburriensis. S. P. D.

Postquam in cecropido somnum duxisse perennem

Aiunt Parnaso Martis & esse Deum,
Officijs similes sic te decorare togatos.

Hec volumus clypeo scripta subesse tuo.

Quisquilias laeta princeps iam suscipe fronte,
Haud tua sit votis mens inimica meis.

Proficiusq; liber, non parui norma laboris,
Annuere optatis iusta sit ansa meis.

Et memor esto mei, mea uestrum vota secundet
Numen, mune ribus sic fruar ipse tuis.

Rachæ multiugis audacibus annue ceptis,
Sublimi gratum me tibi redde duci.

Prospera praedicto sint nato cuncta mineruæ,
Prospera sint celso cuncta gerenda Duci.

Immensus princeps celo demissus aperto,
Viuat perpetuo, viuat vterque parens.

Atq; diu viuat, felici sydere viuat.
Auspicijs semper viuat vbique bonis.

Viuat ad altiua gum rursus gradiatur olympum,
Primæuas partes totius orbis habens.

Illa tenente sibi euenient tandem infima Tauro
Italiam versus, tunc ea fata sinunt.

CLEMENTISSIMO DO. CAROLO EMANVELI

BITVRIGVM DVCI,
& Pedemontij Principi.

Petrus Racha Iuriscons. Salutem.



HOMINEM Duplicium substantiarum, scilicet animæ & corporis, asyllum ac capacem esse, ut non solum huiusce mundi sacrosancta Dei optimi maximi misteria contem-
plaretur; verum etiam, ut ad eius imaginem compositum, cæteris præcellere ratione, &
oratione voluit, & iussit. Huius rei præcipua de causa: ne dum rationis, & orationis in-
capax fuisset homo: perinde ac cætera animalia nullo adhibito appetitu fieri mirum
in modum vagaretur: sibiq; inuicem prodesse minimè posset. Quod naturali ratione
suffragante, id fieri Deus denegauit. Et quamuis pleriq; sunt, adeo hac re abutentes: ut
corporis & animæ cæteris rebus præferendæ, extrinsecis vestibus potius quàm intrinse-
cis se ornatiros esse autem: tamen cum manifestam eorum fatuitatem virtus corra-

pta quadam facie semper demonstrat: & à vera solentidæ virtutis semita deniet: qui eius animum ad solam vir-
tutem inflexum habet, atq; alijs virtutum exemplar, velut in speculo posatum: se præbet: talium hominum di-
ctis, si homines dici possunt, non calculum addunt: illisq; minimè consentiunt. Qua propter, serenissimè prin-
ceps, aiunt philosophorum principem dicere solitum fuisse: extrinseca vestimenta huic corpori, & quidè quasi
putrido, & animæ, extrinsecis rebus nobiliori, non prodesse ad bene beatèq; viuendum. Ex omnibus enim cor-
poris partibus seu membris fiunt immunditiæ: ut nulli dubium esse debet. Aiunt & totius cephalocis rethori-
ces apud Græcos facile Principem Demosthenem: cum literarum nihil adhuc inbibisset: & summas rethori-
ces apices non exercuisset: vestibus extrinsecis nobilioribus & pulitioribus usum fuisse. Verum, postquam
intrinsecis ornatus fuisset, noluisse extrinsecis ornari. Quàm sit hoc factum homine prudentissimo dignum: non
solum tua celsitudini, & celsitudini genitoris tui luce meridiana clarius esse debet: qui virtutum non modicis
insignijs imbuti es: verum etiam cæco & cuius ignaro apparere debet. Propterea, cum bene vtendi ratione ni-
hi ab eo, qui omnia oculis aspicit æquis, datum permissumq; fuerit: quemadmodum alij alia ad se allicunt, ad-
dicuntq;: ego à teneris, ut aiunt, vnguiculis ad iurisprudentiam adductus. cum animo haud labili infelicem
cum prospexerim, & perspexerim, qui per uigili studio multoq; labore ad virtutes parandas, capeccos dasq; non
se exercuerit. sola enim animi, sola est nostræ præstantia mentis ipsa virtus, quæ fugiat stygios nō peritura lacus.
Ita sui ad ipsam adductus: ut illi nihil magis additum fuerit: cæsarei iuris libros diurna nocturnaq; manu ver-
sando doctoratus insula adepta: & doctoreis insignijs habitis: ac me in albo iurisprudentiæ candidatorum red-
dico: ita ut animum ad scribendū postea appuerim: & ita appulerim: ut non solum hos duos tractatus de rebus
civilibus & criminalibus loquentes perfecerim: sed etiā alios nuper ostendos: ut problemata: & interpretationes
ordinarij iuris matutini, & in rub. de verb. & res. signif. & de reg. iur. Quæ ne videatur obscuri, ut ab obscuro con-
diti homine, & nondum penitus cognito, in lucem prodire: per necessarium duxi aliquorum clarissimorū prin-
cipum nominibus ipsos illustrare: & illustres nimis in modum reddere: maiorum prædecessorumq; nostrorū
vestigia sequendo. Et quoniam ditiores, potentiores, clariores, illustriores, ac celebriores vobis duobus,
ex quibus alter est Cardin. Borromæus, Cardinalium Præstantissimus, omnium rerum ad veros Principes prin-
cipantib; regentes spectantium, & pertinentium inueniri nequeant. & à vestris parentibus ac maioribus mini-
mè aliqua in parte aliquoq; pacto degeneres. Et maximè tu, Princeps serenissime, quem iam paternis fultum
virtutibus, & animi eximia valde generositate, ac præstantia tum pacis, tum belli tempore, benigno, placido,
ac placato animo te gerere omnes contentur, dicunt, & testantur. De genitore tuo serenissimo Eman. Philib-
erto Sabaudie Duce nullas amecto laudes, cum ipsius morum integritas, maxima vigilantia inter reges, &
principes, tum in componenda, & in avertenda pace, tum in rebus bellicis, & in bello maturum consilium,
& sagacitas, & eximia ac immoedæ vires in confictibus bellicis, sepius experte: & ita experte, ut nihil
magis expertum fuerit: adeo vt ipsam Deum Martem esse omnes indistinctè, & publice fateantur, & prædi-
cent ubiq;: satis superq; nota sunt, atq; manifesta: ipsum laudent: ita vt nihil manifestius esse nequaquam pos-
sit nunc & in futurum cuiuslibet temporis tractu. Et bellicos quidem illos eius maximos & innumeros sudores,
propter quos compositi redduntur pace latini; quis vnquam sanæ mentis dicet, quod aliqua vnquam obliuio
delere, absolvere, & cancellare possit? meherculè nullus. Probitatem etiam ani tui clementissimi D. q. Ca-
roli Sabaudie Ducis tacemus. Qui iuris candidatos ita summo prosequatur amore, ut illos dignis officijs, ut
presidentali, vel senatoria dignitate decoraret: ad diuitias, & fortunæ bona nulla habita ratione: hoc est, an
quis fuisset comes, vel comitis filius: quemadmodum ab aliquibus fit, sed tantum ad animi bona, quanta quis
habuisset: ut fieri debet, & pater de Balbo, & Purpurato præsidibus: Cagnolio, & Rubco ipsius Ducis senatori-
bus. Quæ antequam ad illa munera eueherentur comites non erant, neq; comitum filij: sed animi bonis

PETRI RACHAE CABVRIENSIS.

I. C. CLARISSIMI,

Cerdistologia, seu Praxis rerum ciuiliū.

S Y M M A R I V M.

- Actori quando, & quare magis fauatur, quam reo num. 1.*
Agere volens ad que animaduertere debeat, prius quam agat
num. 1. & per tot.
Admonitio extraiudicialis an, & quando requiratur. num. 1.
Agere volens qualem debeat adire aduocatū, num. 2.
Libelli inceptitudo quid operetur num. 2.

C A P. I.



Duersas aliquem debitorem agere si quis voluerit, lapsi termini dati prae textu, non statim ad quemuis aduocatum pro constituendo libello confugere debet: Sed plura illi sunt primum pensitanda, & animaduertenda.

Nam si nulla aduersus debitorem consideratio praehabita expectatur, & libello iudici portrecto per quemuis aduocatum confecto, creditor huiusmodi aut propter libellum malè compositionem, aut alia iudicialia omnia condemnabitur in expensis: & reus absoluetur ab obseruatione iudicij: aut si ipse actor victor existat propter paupertatem, vel potentiam aduersarij vel siml. non poterit facere, quòd si sententia executioni verè mandetur: ita ut ex hoc inanis frustra laboribus & expensis. Quia propter infra scripta ipsi esse diligenter & mature ruminanda ac consideranda, prius quam aduocatum adeat, & aliquibus frustrati expensis, aliquid que frustra expendat, non inuoria censemus. Et primo considerata eius qualitate consideret. Si ita diues sit, ut causam ipsam in omnibus possit prosequi instantijs. Nam frustra ell incipere, quòd quis haurit, & pro se qui ad finem vsque non possit. Cum si inceperit, & non prosecutus fuerit, maximum & irreparabile imminet sibi damnum, non modicaque imminet sibi iactura, eo quòd aduersus ipsum rursus agere uolentem, rei indicata exceptio, quae pro veritate habetur, opponi possit: quam ipso non agente non patietur: sed ad pinguiorem cum peruenierit fortunam, sibi agere prohibitum nequaquam erit. Secundo si in aliqua constitutus sit infirmitate, qua obstante incumbentis in causa peragere non possit, Tertio si in aliquo constitutus sit loco, vel aliquibus sit, vel verisimiliter futurus sit implicatus impedimentis: quibus obstantibus in causa necessaria adimplere nequeat. Quarto partis aduersae perpena qualitate, perpendat, si ipsa aduersa pars, adeo sit ipso ditior & potentior, ut verisimile non sit, eum longo tempore litigaturum: quin iudices mueribus, prece vel precio, vel amore & amicitijs, vel iniuris contum paruel ad arma per se ipsum, vel per alios secum ueniat. Quinto si dicta pars aduersa in aliquo habitet loco, in quo aliquid possit iudici vel hominibus illius oppidi precellationem: vel vbi minime tum sit accessus: vel ubi non facile ire possit. Sexto si dictus aduersarius veruscia & litigandi arte calet: & bonis imbutus sit literis; agere volens verò

rufficus, & bonarum literarum ac litigandi artis expertus, & ignarus. Septimo si indices sint ij, qui facillè corrumpi possunt, & corumpantur: & an sine amici, vel affines, seu cognati, consanguineiue partis aduersae, uel quid piam simile in seipsis habeant & sint. Ita ut verisimiliter argenranginam pati debeant, vel causam in tempore protrahant, in quo obligatio seu actio remaneat confusa vel elisa. Octauo si cum ius fouere & actionem habere ita clarum sit, ut iudici haeritationi non sit locus. Quia quotiescunque iudici aliquis est dubitationi locus, utrum necne actor ius foueat: potest esse, quòd iudex (praesertim si sit ignarus) in alteram potius declinando partem, reum diffinitione absoluerit: ita ut actor frustra contenderit. Nono animaduertere debet quis, antequam agat: ut cuncta iura, quibus intendit in causa uel, ex parte rimetur, & sedulo perscrutetur: & actio, quae clarior & manifestius illi competit, & quae causae exitum celerius uidere faciet, intenterur: & si quae sunt querenda instrumenta, querat, & leuare faciat, ne pars aduersa notarium prothocolum habentem aliquo pacto corrupendo faciat, ut instrumenta, ipsa abscondat, uel aliquid addat, uel minuat, quo facillè species possit alterari. Et si qui sint testes examinandi, à quibus rei veritas dependeat, prius ipsos alloquatur: au, cum de tali re examinabuntur, veritatem dicent: & quid de ipsa deponent, ne fortasse & ipsi à parte aduersa corumpantur: vel non sciunt, uel nolint dicere, quae ipsi eos scire, & uelle testari existimet. Et si dicant se nescire, uel nolite dicere: denunciationibus agat euangelicis tria monitione (ut decet) praemissa. Quia, si non contentur, frustra est agere & propterea non est, quòd agat. Si vero contentur: si ita contententur, quòd eorum dicta ad causam mouendam victoriam sufficere possint, ut agatur, consulimus. Nam verisimile non est, quòd quando in causa interrogentur, aliter quam tunc dixerint, dicant. Et optimè est considerare etiam tunc qualitates personarum testium: ut si sint perstricti frontis, & mali ac audaces, qui omni pudore postposito his, quae semel dixerint, contradicere audeant: & in eadatio ac subsistati veritatem postponere. Vix de ipsis condant: & propter ipsos uix agat. Et ita quis debet cuncta prouidenda prouidere, priusquam agat, ut agendo deinde tuto & secure agere possit, & victoriam obtinere. Nam planè qui agit, certus esse debet: cum sit in potestate eius, quòd velit expectari: & ante debet rem diligenter explorare: & tunc ad agendum procedere: ut dicit text. ad literam in l. qui in alterius, ff. de regul. iur. & ea de causa, quia agere volens necessario debet rem omnem preparare, & ad preparandum tempus habere: in l. dictionum preparatorijs magis fauetur actori, quam reo l. si quis intentione. de iudi. & not. per gl. in c. cum ad sedem. de re lit. spoliat. in verb. cum pertinentijs, & Baran Lanter stipulantem. in s. i. ff. de verbo. obliga. Decimo animaduertere debet quis, ut prius quam agere incipiat, interpellatio extraiudicialis debitori fiat: etiam si omnia parata ad causam mouendam habeat: & eum ius fouere clarum sit. Quia talis potest esse aduersarius, qui potius propter extraiudicalem interpellationem, & amicitiam requiritiorem, quam propter iudicalem soluenda soluet, & relaxanda relaxabit. Imò potest esse talis, qui iratus & iracundus iudicia-

A

h con-

Cerdistologia rerum ciuilium,

est patris adoptiuus. sed & si is. ff. ad municip. electione etij
si quis ciuis. ff. ad municip. l. municeps. C. de inq. l. ciues.
libro decimo. sed aliquis non potest declinare locum origi-
nis. d. l. assumptio. Declinane tamen electi ad dignitatem
quoniam ad honores. non quod ad honores. dict. l. municeps. & si
ecet loco originis renuntiare non possit. dicta. l. assumptio.
loco domicilij tamen renuntiare potest. l. incol. ff. ad mun-
cip. nisi iam antea publicis muneribus esse designatus.
Natus tunc non potest renuntiare in praeiudicium munerum

3 iam designatorum. d. l. incol. † Incola uero est qui in ali-
qua regione domicilium contulit. ff. de uerbo. significat. l. pu-
pillus. §. incol. & C. de incol. ciues. & ibi gloss. & Docto. &
necum incolatus est qui se transfert ad habitandum in aliqua
ciuitate vel castro. sed etiam si in territorio eius. d. §. incol.
& C. de incol. l. est. uerum. est incolatus etiam praesumptus ille.
qui decem annis sedem in aliquo loco contulit. d. ff. de in-
col. l. 1. & ibi. not. §. l. 3. & d. l. ciues. qui incolatus debet parere
magistratibus apud quos incolatus est. ff. ad municip. l. incolatus.

FINIS.

AUGUSTAE TAURINORVM

Apud haeredes Nicolai Beuilaquaë,

1579.

M. X. L. III. M. II.

1. Incolatus est qui in aliqua regione domicilium contulit. ff. de uerbo. significat. l. pupillus. §. incol. & C. de incol. ciues. & ibi gloss. & Docto. & necum incolatus est qui se transfert ad habitandum in aliqua ciuitate vel castro. sed etiam si in territorio eius. d. §. incol. & C. de incol. l. est. uerum. est incolatus etiam praesumptus ille. qui decem annis sedem in aliquo loco contulit. d. ff. de incol. l. 1. & ibi. not. §. l. 3. & d. l. ciues. qui incolatus debet parere magistratibus apud quos incolatus est. ff. ad municip. l. incolatus.



C. P. L. III. M. II.

1. Incolatus est qui in aliqua regione domicilium contulit. ff. de uerbo. significat. l. pupillus. §. incol. & C. de incol. ciues. & ibi gloss. & Docto. & necum incolatus est qui se transfert ad habitandum in aliqua ciuitate vel castro. sed etiam si in territorio eius. d. §. incol. & C. de incol. l. est. uerum. est incolatus etiam praesumptus ille. qui decem annis sedem in aliquo loco contulit. d. ff. de incol. l. 1. & ibi. not. §. l. 3. & d. l. ciues. qui incolatus debet parere magistratibus apud quos incolatus est. ff. ad municip. l. incolatus.